MEDITATIO
DE
ΑΝΑΠΟΛΟΓΗΣΕΙ

Ad illustr. loc. Rom. I. 1

AVSPICE D

IN ALMA GEORGI

PVBLICO ERVDITORVM EXAM

M. CHRISTOPH. LVDOV

AMPL. FAC. PHILOS. A

ET RESPOND

LEVIN THEODORV

ANDREÆMONTANO-

AD D. XV. JVN. A. O.

H. L. Q. C.

GOTTIN

LITERIS HA

ATIONES

DE

ΣEI GENTILIVM,

n. I. 19. 20. II. 14. 15.

CE DEO

ORGIA AVGVSTA

VM EXAMINI SVBMITTENT

VDOVICVS OBBARIVS,

HILOS. ADIVNCTVS,

ESPONDENS

DORVS KIZOW,

NTANO-CHERVSCVS

N. A. O. R. MDCCXL

L. Q. C.

TINGAE

H A G E R I A N I S.

X 22

MAGNIFICO AC SVMME VENERANDO

DOMINO PRO-RECTORI,

NEC NON RELIQVIS

MAGNIFICIS, SVMME VENERANDIS, ILLVSTRI-

BVS, EXCELLENTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS,

AMPLISSIMISQVE

DOMINIS PROFESSORIBVS

AC

PATRIBVS CONSCRIPTIS HVIVS ACADEMIAE,

DOMINIS, PATRONIS

AC

FAVTORIBVS SVIS

PIA MENTE AETERNVM DEVENERANDIS

SVSPICIENDISQVE,

QVALEMCVNQVE HANC DISSERTATIONEM

VALEDICTORIAM

IN TESTIMONIVM GRATI ANIMI ATQVE RECORDATIONIS

ACCEPTORVM BENEFICIORVM, BENEVOLENTIAE

AC FAVORIS

OFFERT ET CONSECRAT,

HVIC ACADEMIAE AC PATRIBVS CONSCRIPTIS

FAVSTA QVAEVIS ADPRECATVR,

SEQVE IN POSTERVM

ABSENTEM QVOQVE

MAGNIFICI DOMINI PRO-RECTORIS

RELIQVORVMQVE

DOMINORVM PROFESSORVM

VLTERIORI FAVORI AC BENEVOLENTIAE

DE MELIORI COMMENDAT

M. CHRISTOPH. LVDOVICVS OBBARIVS,

PHIL. FAC. ADI.

§. I.

Existere summum Numen, ejusque existentiam ex sana ratione agnosci posse, certissimum est ac evidentissimum, &, quæ contra hancce veritatem ab hominibus male sanis in medium proferri solent dubiola, vix responsione digna sunt, & ab innumeris jam viris celeberrimis diu profligata dataque internecioni. a) Neque etiam ullus, cui sanum est sinciput, in dubium vocabit, nos per ipsam rationem obligari ad certum Enti supremo præstandum cultum, honorem atque venerationem. Facile etiam concedetur nobis, illos, qui hanc Dei cognitionem, cultum & officia Deo debita, reliquaque legis naturalis præcepta, negligunt, nonsolum peccare, sed etiam propterea poenas suo tempore sustinere justissimas, suæque propriæ obesse felicitati: non enim Oedipus sit necesse est, qui nexum naturalem & necessarium inter legis naturalis transgressionem certasque introspicere vult poenas inde dependentes b). Sed, quod gentiles, qui lumine gratiæ prorsus destituti sunt, propter legis naturæ violationem nonsolum æternum pereant, sed etiam prorsus ἀναπολόγητοι sint, & nihil pro sua defensione & excusatione in die judicii proferre possint, res altioris indaginis est, & a multis in dubium vocatur, imo prorsus negatur, licet Paulus illud totidem affirmet verbis, *Rom.* I. 19. 20. Nos igitur ostendemus, Paulum veritati consentanea dixisse, simulque veras hujus ἀναπολογήσεος causas ex dicto Paulino eruemus. Faxit Deus, ut feliciter.

a) Conf. Cel. BUDDEI *theses de atheismo & superstitione.* It. *Io. Alb.* FABRICII *syllog. script. de verit. relig. Christ. c. 12. p. 340. sqq.*

b) Non dicimus *poenas naturales* immediate semper conjunctas esse cum singulis legum naturalium transgressionibus, sed generatim affirmamus, dare *poenas naturales*, & nexum naturalem inter multa peccata & poenam, conf. *cel.* LEIBNITII *Theod.* P. 2. §. *112*, p. m. 232. & §. 126. p. m. 266.

§. II. Ut vero, quæ Pauli mens sit de ἀναπολογήσει gentilium, eo clarius patescat, apponamus ejus verba, in latinam linguam translata. Ita vero ille l. c. *Cognoscibile* a) *namque Dei*, sive id, quod de Deo per naturam cognosci potest, *manifestum est inter ipsos* b): *Deus enim ipsis manifestavit. Invisibilia enim ejus, nimirum æterna ejus potentia & divinitas*, c) *a*, sive *ex*, *mundi creatione perspiciuntur, attendendo ad opera; ut adeo ipsi sint inexcusabiles*, sive, ut nihil habeant, quod pro defensione sui allegare possint. Hisce jungo parallelum locum *Rom. II.* 14. 15. *Quando enim gentes legem* (scriptam) *non habentes, natura faciunt ea, quæ legis sunt, hi legem* (scriptam) *non habentes sibimetipsis lex sunt. Ostendunt scilicet, effectum legis* d) *scriptum esse in cordibus eorum, contestante hoc ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuo accusantibus & excusantibus.* Ostendit igitur Paulus in priori loco, caussam ἀναπολογήσεος esse e) neglectam agnitionem Dei naturalem & omissionem officiorum inde resultantium, uti contra in posteriori loco affirmat, illos quandam habere ἀπολόγησιν f), qui legi naturæ convenienter vivunt. Antequam vero nexum & sequelam argumenti Paulini investigemus, &, quomodo ex neglecta vel observata lege naturali ad inexcusabilitatem vel qualemcunque excusationem concludi possit, ostendamus, quædam prius monenda sunt de ipsa naturæ lege,

lege, & de notitia legis & legislatoris naturali, hæc enim nisi probe teneantur, de obligatione ad observandam legem, & ad poenas propter violatam legem sustinendas, recte judicare non possumus.

a) γνωςὸν, *cognoscibile*, conf. *Henr.* STEPHANI *Thes. G. L.* opponitur generatim impotentiæ & incapacitati cognitionis, sive ei, quod sub cognitionem non cadit; speciatim h. l. τῷ μυςηρίῳ, conf. *Ioh.* COCCEII *Comment. in h. l. Iac.* LAURENTIUS in PAULO δυσνοήτῳ vertit: *quantum homo sine Dei verbo ex natura de Deo scire potest*, conf. *Casp.* LOESCHERI *diss. de* Θεογνωσίᾳ *naturali*, (*Wittenb.* 1693.) *p.* 5.14.

b) Ita scilicet verto illud ἐν αὐτοῖς. Scio, quod vulgo explicetur: *manifestum est in illis*, ne argumentum pro *notitia insita* ex h. l. petitum pereat; sed, si quid judicare valeo, nihil dici potest *manifestum esse in aliquo*, nisi de quo iste aut interne convictus sit, aut saltem ejus notitiam claram, explicitam ac distinctam habeat, hoc vero, quod materiam substratam attinet, nullo modo de gentilibus in genere dici potest. Igitur vertere malui: *inter illos*, sive *illis*; nonsolum enim illud manifestum esse dicitur inter homines, quod actu cognoscunt, sed etiam, quod unusquisque eorum facile cognosci posset, si modo de illius cognitione solicitus esse vellet. Nec nostra abhorret interpretatio ab usu hujus particulæ biblico, *conf.* Matth. XX. 26. Luc. XVI. 15. Rom. VIII. 29. XVI. 7. 1. Cor. II. 6. neque auctoritate destituimur; nonsolum enim ERASMUS, VATABLUS & GROTIUS, (teste *Casp.* LOESCHERO l. c. p. 17.) exposuerunt hæc verba: *inter illos*, sed ipse quoque B. LUTHERUS nostræ interpretationi propius accedere videtur, quam vulgari, quando explicuit: *ist ihnen offenbahr*. Nihil etiam detrahit nostra interpretatio *notitiæ Dei insitæ*, sano sensu acceptæ & notitiæ Numinis *actuali* oppositæ, quippe quæ tota post lapsum *adquisita* est. Cum enim nulla prorsus ratione dici possit, τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ per naturam *actualiter* manifestum fuisse sive *in* gentilibus, sive *inter* illos, conf. v. 18. & 25. & tamen Paulus generaliter & indeterminate affirmet, illud vere inter illos manifestum fuisse, sequitur necessario, hæc verba v. 19. de *notitiis* sic dictis *insitis* explicanda esse, τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ nempe eo modo inter gentiles manifestum fuisse, ut facile illud *actu* cognoscere potuissent, si de eo soliciti fuissent. Interim cel. BUDDEUS in *Instit. Theol. Dogm.* p. 204. aliique, totum hunc locum non de *insita*, sed de *acquisita* Dei notitia explicant.

c) *Hæc, cum sint ἀόρατα, corporisque oculis conspici nequeant, mente perspiciuntur, non minus profecto certe & evidenter, quam si quis corporis oculis ea intueretur*, inquit BUDDEUS l. c. p. *210.* Quosdam ex Patribus *invisibilia* retulisse ad Patrem invisibilem, *virtutem* ad Dei Filium, *divinitatem* ad Spiritum sanctum, testis est *Casp.* LOESCHERUS l. c. p. *20.*

d) Ita scilicet cum *Georg.* PASORE *in Lexic.* vertò τὸ ἔργον τȣ̃ νόμȣ.

e) B. MUSÆUS in Diss. *de luminis naturæ insufficientia ad salutem*, inquit §. *16* p. *10: Dicuntur gentes apostolo* ἀναπολόγητοι, *inexcusabiles, quod cum Deum cognoverint, non tamen ut Deum glorificaverint, sive cultu, ipsi ut Enti omnium supremo conveniente, prosequuti non sint.* Et *Io. Conr.* DURRIUS in Diss. *de ethnicorum inexcusabilitate* §. *41: Propter* τὸ γνωςὸν τȣ̃ Θεȣ̃ *suppressum, aut adulteratum aut male applicatum,* ἀναπολογήτȣς *pronunciat Apostolus gentes.* Et QUENSTEDT *Syst. Theol.* P. I. p. m. *263. Deus hoc fine notitiam sui naturalem voluit esse in homine adhuc reliquam, ut ejus manuductione ad quærendam ulteriorem Dei revelationem in ecclesia excitarentur, quia vero eam gentiles gravissimis peccatis suffocaverunt, veritatem in injustitia detinendo, gloriam ejus in idola commutando &c. igitur* propter hunc abusum *Apostolus recte pronunciat, gentiles per eam notitiam reddi* ἀναπολογήτȣς.

f) Exinde vero nondum sequitur, illos salvari, aut religionem naturalem ad salutem sufficientem esse. Non omnis enim ἀπολόγησις statim absolutionem a poena operatur, ne quidem in foro humano, sed tantum qualemcunque pœnæ mitigationem, si realis est; sed de hoc infra pluribus.

§. III. Per *legem naturæ* Paulus generatim nihil aliud intelligit, nisi ea, quæ homini secundum dictamen rectæ rationis per se conveniunt aut disconveniunt. Speciatim vero & primario huc refert ea, quæ homini respectu Dei creatoris conveniunt aut disconveniunt. Quod autem de sola lege naturali ei sermo sit, patet partim ex eo, quia de gentilibus loquitur, qui legem scriptam non habent, partim, quia expresse legem legi nempe scriptæ opponit, partim, quia medium acquirendi notitiam legis & legislatoris dicit esse contemplationem creaturarum & hujus universi. Publicata dicitur hæc lex hominibus statim in prima creatione,

non

non per publicam quandam hujus legis recitationem, sed quia Deus primis hominibus perfectam hujus legis concreavit notitiam, qui etiam hanc legem accurate tum & perfecte observare eique obedire poterant, quia vera & perfecta prædiri erant libertate. Post lapsum quidem obliterata est in hominibus plerisque, propria eorum culpa, actualis hujus legis notitia, nec constat, ejus promulgationem post Noachi tempora inter gentiles a) solenniter repetitam esse; interim gentiles propterea nullo modo exemti sunt ab obligatione hujus legis, impossibile enim est, ut homines unquam liberentur ab obligatione ad ea facienda vel omittenda, quæ ipsis, qua hominibus, per se conveniunt aut disconveniunt. Neque etiam hujus legis agnitio post lapsum reddita est impossibilis, aut difficilis: præterea enim, quod gentes non latebat, hanc legem, inter alias, publice doceri inter Israëlitas, quorum fama propter frequentiora inter eos miracula longe lateque divulgata erat, & a quibus illam notitiam facili negotio acquirere poterant b); illud maxime considerandum est, quod Deus semetipsum in operibus suis tam clare tamque perspicue manifestaverit, ut hominibus sana ratione præditis, & qui facultate gaudent introspiciendi nexum rerum, si sine præjudicio hoc universum, & quamlibet creaturam in specie, attente considerant, nihil facilius sit, quam a creaturis ad creatorem ejusque perfectiones colligere. Sane & levis est cespes, qui probat esse Deum. Hac vero prævia Dei agnione reliqua etiam legis naturæ capita facile indagari possunt.

a) Loquimur scilicet de solenni & universali publicationis repetitione; particulariter vero illa lex omnibus temporibus publicata est

partim per ipsos gentilium philosophos, licet hi varios admiscebant errores, partim per patriarchas, hinc inde inter gentiles commorantes & peregrinantes, partim per Judæos hinc inde dispersos, & ipsos gentiles ad verum Deum conversos, &c: Imo infra testimonia allegentur, Deum subinde veros justitiæ præcones inter gentiles excitasse.

b) Nemini enim gentilium denegabatur institutio in vera religione, quicunque modo eam desiderabat. Vocabantur ejusmodi gentiles veram religionem edocti, *proselyti portæ*, גרי תושב, inquilinæ vel advenæ cohabitationis, it. חסידי אמות העולם, pii gentiles seculi, & credebantur partem habere in futuro seculo. Non circumcidebantur, nec ad ceremonias Judaicas aut ritus Mosaicos observandos obligabantur, sed relicta tantum idololatria uni Deo & observationi septem præceptorum, quæ vocabant, Noachi, sese subjicere debebant. Referuntur in hunc censum Ninivitæ, Matth. XII. *41.* Luc. XI. *32.* Naeman Syrus, *2.* Reg. V. *17.* Nebucadnezar, Dan. IV. *31. 34.* Darius Medus, Dan. VI. *26.* Cyrus, *2.* Par. XXXVI. *23.* Syrophœnissa, Matth. XV. *22.* Cornelius centurio, Act. X. *2.* Eunuchus Candaces reginæ, Act. VIII. *27.* aliique plures. Sed גרי צדק, *proselyti justitiæ*, dicebantur, qui circumcisionem & totam religionem Judaicam amplexi, ac omnium privilegiorum ac jurium Judaicorum participes facti erant, excepto, quod in Synedrium vel Concilium magnum cooptari non poterant. Tales fuisse creduntur Jobus, Urias Chittæus, *2.* Sam. XI. Arauna Jebusæus, *2.* Sam. XXIV. *16.* *1.* Par. XXI. *18.* Achior Ammonita, Judith. XIV. *6.* Nicolaus Diaconus, Act. VI. *5.* & Hellenistæ, Act. VI. *1.* Joh. XII. *20.* Act. II. *5.* conf. *Io. Conr.* DURRII Diss. *de Ethnicorum inexcusabilitate*, §. *30.* & *31.* & *Joach.* HILDEBRANDI *Antiquitates* S. p. m. *159.*

§. IV. Et hæc est ratio, quare Paulus dicat, *Deum se manifestasse gentilibus*, & *cognitionem Dei* naturalem, sive sub lumen naturæ cadentem, *manifestam esse inter illos*. Non loquitur de *actuali* Dei agnitione; licet enim jure dubitemus, an unquam universæ extiterint gentes, quæ nullum prorsus Numinis sensum atque cognitionem actualem habuerint, a) tamen in propatulo est, plerarumque gentium notitiam actualem fuisse

iſſe ſpuriam corruptamque, & a vero prorſus abludentem, id quod etiam noſter in noſtro capite ſatis declarat, abſurditatemque Theologiæ gentilium omnium oculis exponit. Quanta vero etiam fuerit coecitas τῆς ἀσυνέτου αὐτῶν καρδίας, et vanitas ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, jure tamen Paulus affirmat, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ manifeſtum eſſe inter ipſos, nempe ratione ſic dictæ *notitiæ inſitæ*, b) ſiue facultatis ac inſtinctus naturalis agnoſcendi verum Deum, nihil enim ipſis facilius fuiſſet, ſi ratione ſibi conceſſa recte uti voluiſſent, quam veras ſibi acquirere de Numine notiones, & omne illud inveſtigare, quod de Deo per naturam cognoſci poteſt.

a) Quicquid etiam de *gentibus atheis* in itinerariis dicitur recentioribus, nondum tamen hujus rei veritas ſatis evicta eſt. Si fides illorum ſuſpecta eſt, qui de ſpectris aliisque prodigiis multa narrant, mihi ſane illorum fides non major videtur, qui univerſis gentibus verum rationis uſum prorſus denegant; anne vero hoc ſit, ipſis denegare uſum rationis, quando de illis affirmatur, totam gentem per tot ſecula nunquam ex creaturarum & eventuum naturalium conſideratione concluſiſſe, dari ens quoddam ſupremum, aliis judicandum relinquo. Mihi placent, quæ *Sr. C. le* BEAU in ſes *Avantures, ou Voyage curieux & nouveau parmi les ſauvages de l' Amerique Septentrionale*, c. 16. p. 259. ſq. ſcribit: *ſi les premiers qui ont abordé ſur les Terres de l' Amerique, ne ſe fuſſent pas tant preſſé de donner au Public des Relations, pour lui faire part des découvertes dont ils pretendoient ſe faire honneur, ils auroient ſans doute tenu un langage bien different de celui, par le quel il nous dépeignent les ſauvages vivant comme des Bêtes; ſans nulle connoiſſance de l' autre vie; ne rendant aucun culte Divin à qvoique ce ſoit de viſible ou d' inviſible, faiſant un Dieu de leur ventre & bornant toute leur felicité à la vie preſente. Ces Auteurs n'ayant vu parmi eux, ni Temples, ni Autels, ni Idoles, s' imaginèrent du premier coup d' oeil, qu' ils etoient tels que je viens de dire; mais doit-on jamais s' ingerer a detailler les Moeurs & les Coutumes d' un Pais dont on n'a point encore de Memoires, ſur tout lors qu'on n' en poſſede point la langue? Science qui demande une longue étude!* &c. conf. quoque B. BUDDEUM *Inſtit. Theol. Dogm.* p. 205. ***

b) Nostrum in præsenti non est, in diversas doctorum de *notitia Dei insita* sententias & definitiones inquirere, de quibus *conf. Zach.* GRAPII *Theol. recens controv.* qv. *3.* p. *10.* sqq. Sed salva aliorum auctoritate eam constituimus, partim in *facultate*, & quidem *propinqua*, veritates primas ad Theologiam & legem naturalem spectantes mediante rationis usu ex contemplatione hujus universi & eventuum mundanorum facile eruendi, partim in *propensione & instinctu naturali*, perceptis statim terminis veritatibus istis universalibus assentiendi, & Deo agnito hunc vel illum cultum exhibendi. Omnem vero *notitiam insitam actualem*, & *ideas de Deo innatas*, hominibus post lapsum *ordinarie* denegamus. Consentiunt nobiscum B. Confessores nostri, qui in LL. SS. p. 52. 53. 54. 55. *edit. Rechenb.* affirmant, hominem nasci *cum ignoratione Dei*, & illos extenuare peccatum originis, qui hoc negant. conf. etiam BUDDEUS in *Instit. Theol. Dogmat.* p. 203. & MUSÆUS in *Introduct.* in *Theol.* c. 2. §. 19. it. §. 11. n. 5. p. 54. & in *Declarat. sol. Jenens.* ubi p. 151. & 158. notitiam insitam vocat quoque *lucem* & *perfectionem intellectui congenitam*, & p. 159. sq. ostendit, quod illi ex orthodoxis Theologis, qui alio modo eam definiunt, re vera tamen idem statuant.

§. V. Quia vero Paulus in eo versatur, ut evincat, gentiles nonsolum in judicio divino juste damnari, sed etiam omni prorsus destitui defensione & qualicunque excusatione, non sufficiebat ostendere, illos *potuisse* veram τῦ γνωςῦ τῦ Θεῦ sibi acquirere agnitionem *actualem*, sed necesse erat, ut simul ostenderet, hujus notitiæ consecutionem fuisse facillimam, & media semper ac ubivis iis obvia, adeoque eorum ignorantiam crassam esse & supinam, nec Deo aut aliis, sed ipsis gentilibus imputandam. Hinc nonsolum dicit, γνωςὸν τῦ Θεῦ *manifestum esse* inter ipsos, quicquid vero manifestum est inter homines, illud a quolibet facile agnosci potest, & quicquid difficulter aut magno cum labore cognoscitur, illud non dici potest, manifestum esse; sed ostendit etiam modum ac media perveniendi ad veram a) & actualem Dei notitiam, per attentam scilicet creatu-

aturarum & hujus universi contemplationem. Cum vero quilibet homo, sensibus externis & sana ratione praeditus, hoc universum, & quae in eo continentur, facili negotio attente contemplari possit, patet, illum quoque facili negotio ad notitiam creatoris actualem pervenire posse.

a) Gentiles ex lumine naturae *veram*, sed non perfectam & salutarem notitiam habere potuisse, ostendit post alios *Fried.* BALDUINUS in *Cas. Cons.* p. 64. sqq.

§. VI. Ast tibi non adeo facilis videtur demonstratio de existentia summi Numinis, sed res ardui momenti, quae non a simplicioribus quibuscunque, sed a primae magnitudinis Philosophis vix ita praestari possit, ut Atheorum dubitationibus ex asse satisfiat. Respondeo: vulnus recens, &, ut ita loquar, in statu naturali adhuc constitutum, facillimo negotio simplicissimis remediis sanari potest; quando vero neglectum & per incuriam aut studio corruptum inflammatio accessit ac sphacelus, tunc sane magna diligentia, diuturna experientia ac vehementioribus remediis, sectione & ustione, opus est. Ponamus, dari Atheos, qui vere & firmiter, sine formidine oppositi, persvasi sint, non existere Deum, & quorum convictio tibi tam difficilis videtur a), illorum sane status prorsus praeternaturalis erit, nec ipsi cum falsa ista persvasione nati sunt, sed eam demum magno labore & rationibus palliativis undecunque summo studio conquisitis sponte sibi contraxerunt: ab horum igitur Atheorum *formaliter* talium difficili convictione, ad curationem aeque difficilem Atheorum *materialiter* talium, quales

natura erant gentiles, de quibus Paulus loquitur, nullo modo procedit conclusio. Hi enim nascebantur quidem cum *ignoratione Dei actuali*, sed nullo modo cum persvasione, non esse Deum, aut cum propensione ad negandum Deum, hæc igitur naturalis Dei ignorantia facile vinci ac emendari poterat: cum enim effectus non esse possit sine causa, & humana natura b) abhorreat a regressu in infinitum, nihil sane facilius est, quam colligere a creaturis ad creatorem, & ab illarum pulchritudine ac sapientissima ordinatione ad hujus perfectiones. De hoc vero naturali gentilium statu, ubi nondum spontanea accesserat malitia, loquitur Paulus, illumque solicite distinguit a statu eorum præternaturali & corruptione sponte contracta, affirmans, postquam illi vani facti essent ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, et cor eorum desipiens sic obtenebratum esset, ut pro nihilo reputassent veram Dei agnitionem, tunc Deum illos tradidisse, sive permisisse, ut ruerent in reprobam mentem, atque facerent τὰ μὴ καθήκοντα, ipsis, qua hominibus, non convenientia, ab humana natura abhorrentia.

a) Imo vero non adeo difficilem, sed facillimam esse credo convictionem Atheorum *internam*, cum nondum evictum sit, illorum indurationem eo usque procedere posse, ut, non dari Ens supremum, firmiter & citra ullam oppositi formidinem persvasi sint, sed potius semper refragante conscientia errorem suum disseminabunt, propagabunt atque defendent. Quod vero difficulter compellantur ad erroris confessionem, illud mirum non est, cum vanam exinde quærant gloriam, quod semper qualescunque in promtu habeant exceptiunculas, de quibus undique conquirendis diu multumque sudarunt. *Idealistas* constat difficulter adigi posse, ut fateantur, vere existere res corporales, num vero credis, illos de non-existentiá corporum vere convictos esse, aut num ideo difficile erit, rerum materialium probare existentiam? CHRYSOST. *Homil.* 22. *in Matth.* 8.

Nihil

Nihil est creatum, inquit, *in mundo, per quod non manifestissime Deus ostendatur.* Et *Serm.* 26. *in Rom.* 14. affirmat, quod homines *Deum non cognoscant* (actu), *non ex ignorantia* (connata) *provenire, sed ex socordia ac malitia hominum.* conf. etiam *Tob.* PFANNERI *Syst. Theol. gentil. pur.* c. 2. §. 4.

b) Sed sunt magni nominis Philosophi, qui impossibilitatem *regressus in infinitum* demonstrari posse negant? sit ita, hoc nihil ad me, ego non disputo de possibilitate aut impossibilitate regressus in infinitum, sed nego saltem, nos per naturam nostram pronos esse ad credendum & concipiendum regressum causarum contingentium in infinitum. Status eorum, qui hunc regressum, ut vere existentem, defendunt, non naturalis, sed præternaturalis est, ex infausto atheismi desiderio ortus, & nondum evictum est, quod vel unicus Atheus de veritate regressus unquam firmiter persvasus fuerit.

§. VII. Sed Deus & attributa ejus pertinent ad τὰ ἀόρατα, quae in sensus immediate non incurrunt, non æque facile igitur esse videtur unicuivis hominum, sine alieno auxilio ad veram horum invisibilium agnitionem pervenire. Verum omnino est, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ pertinere ad τὰ ἀόρατα, interim Paulus affirmat, illud γνωστὸν manifestum fuisse inter gentiles, & ad acquirendam horum invisibilium Dei cognitionem nihil aliud requirit, quam attentam creaturarum contemplationem, quodsi igitur vel maxime tibi, qui non tam internam convictionem, quam mathematicam & rigorosam respicis demonstrationem, horum invisibilium agnitio difficilis videtur, plus tamen Paulo, viro θεοπνεύστῳ, credendum esse existimo. Accedit, quod Paulo non tam sermo sit de prima existentiæ Numinis agnitione, quam de formandis notionibus Deo jam agnito dignis. Illud enim taxat v. 21. quod agnoscentes Deum non θεοπρεπῶς de eo senserint, nec ei cultum debitum exhibuerint, sed gloriam immutabilis Dei mutaverint in ima-

imaginem corruptibilis hominis atque creaturarum vilissimarum: de existentia enim Numinis per traditionem oralem jam edocti, & per hujus universi contemplationem confirmati erant. Num igitur, præsupposita jam Numinis existentia, difficile erat, ex hujus universi inspectione judicare, ideas gentilium de hujus mundi conditore absurdas esse & contradictorias? Num difficile erat, ab hoc universo ad æternam conditoris potentiam & reliqua attributa, sive divinitatem ejus, colligere? Imo vero, quam facile est cognoscere, totum majus esse suis partibus, tam facile quoque est hominibus præjudicio nondum excaecatis, sed in statu naturali adhuc constitutis & debita cum attentione hoc universum contemplantibus, agnoscere, quod, si detur Ens supremum, illud tale esse non possit, quale a gentilibus vulgo habebatur.

§. VIII. Sed excipient, nullum gentilium, quando ad usum rationis pervenerat, amplius in statu mere naturali, sed omnes a teneris jam unguiculis præjudiciis avitæ religionis jam excæcatos fuisse, hinc omnino difficiliorem fuisse horum præjudiciorum excussionem atque emendationem. Concedo prius, sed nego consequentiam, quod scilicet adeo difficile fuerit gentilibus rationis usum consecutis ex attenta creaturarum contemplatione præjudiciorum infantiæ introspicere absurditatem. Multa accedente rationis usu, etiam a rudiore plebecula, deponi solent præjudicia, quidni etiam gentiles, credentes Deum, perspicere potuissent, si modo voluissent, rationi sanæ contrarias esse ideas, quas de Deo huc usque foverant? Ipsa ratio illos doce-

ce-

cebat, nihil, maxime in rebus arduis, & quæ influxum habere possunt in felicitatem, sine omni ratione temere credendum esse, num vero ullibi rationes saltem palliativæ inveniri poterant, quæ illis persvadere potuissent, simulacra, volatilia, quadrupeda, reptilia, quæ pro Diis colebant, esse veros Deos? Quia vero sponte ratione sibi concessa uti noluerunt, & cæci secuti sunt effata patrum sine ulla veri inquisitione, imo sine dubio refragante sæpius conscientia, nonne ipsimet in culpa sunt crassæ suæ ignorantiæ & errorum, quorum stoliditas vel stupidissimo patescere poterat? Nec obstat, quod non omnes pari ingenii felicitate judiciique acumine præditi fuerint, prius enim demonstrandum erit, ad detegendos crassos hosce errores summo judicii acumine opus fuisse: sane, si tantummodo serio quæsivissent verum Deum, illum sine magno labore inventuri, imo palpaturi fuissent, non enim longinquus erat a) ab uno quovis eorum, sed in eo vivebant, movebantur atque erant. *Act.* XVII. 27. b)

a) *Longinquum* illud esse ex Ebraismo dicitur, cujus cognitio difficulter consequi potest; *propinquum* vero illud, quod quilibet facile indagare & nosse potest, conf. *Deut.* XXX. 11-14. *Rom.* X. 6. 8. Ita etiam explico *Ioh.* III. 13.

b) Conf. QUENSTEDT. *Syst. Theol.* P. 1. p. 254.

§. IX. Homines obligantur ad veram suam felicitatem promovendam, felicitas eorum vera unice a Deo sperari & obtineri potest, Deus, salutis humanæ auctor, vicissim voluit ab hominibus agnosci, non solum qua existentiam, sed etiam qua essentiam & perfectiones, a) E. homines obligantur ad veram Dei agnitionem; id quod alias in Theologia naturali ex aliis quoque ratio-

tionibus fusius demonstratur. Quicunque ad aliquid faciendum obligatur, illud tamen sponte omittit, & contrarium potius facit, illi juste poena infligitur; pœna delicto debet esse proportionata, atrox & gravissimum est delictum, Deo debitum honorem denegare, illumque enti tribuere, quod Deus non est; Ergo gentilibus, qui non Deo, sed creaturis, divinum exhibuerunt cultum, juste a Deo gravissimæ infliguntur poenæ b). Ignorantia crassa, sponte contracta & facile vincibilis, delictum excusare & extenuare non potest, maxime in rebus arduis, ignorantia gentilium de vero Deo fuit talis, (per §. 5-8.) Ergo ignorantia ista gentiles nec excusare, nec ab obligatione ad pœnam promeritam sustinendam liberare potest, Ergo Paulus ex antecedentibus jure concludit, gentiles in judicio divino esse ἀναπολογήτους.

a) Ostendimus in *Dissertat.* nostris nuper habitis, *de fine actionum Dei ultimo*, Deum sapientissime omnia creasse ad demonstrandam gloriam suam. Ipse quoque Deus ex hoc principio sæpe concludit, rationem allegans, quare vel piis succurrere, vel gentes idololatricas punire velit, conf. Es. XLII. 8. XLVIII. 11. Ez. XXVIII. 22. XXXVI. 20-23. XXXIX. 7. 25. Ps. XLVI. 11. Exod. XIV. 17. 18.

b) Nimis prolixum & a scopo nostro alienum foret, hic ex sana ratione demonstrare, pœnas a gentibus idololatricis promeritas fore *æternas*; decrevimus scilicet, harum gentium ἀναπολόγησιν & ἀπολόγησιν, quoad fieri poterit, ex ipsa sana ratione illustrare, atque ostendere, Paulum nihil dixisse sanæ rationi contrarium, nobis igitur pro scopo nostro tunc demum ad Scripturam provocandum est, ubi ratio sana vel illustranda, vel confirmanda vel vindicanda est, vel prorsus desinit, atque nihil ulterius cognoscit. Nolui igitur determinate loqui de poenis *æternis*, sed generatim ostendi, gentiles *poenas gravissimas* promeritos esse, cujuscunque demum illæ sint generis: ideo vero non nego, sed potius affirmo, illos poenas æternas promeritos esse, sed prolixa hoc indiget demonstratione atque operosa, si ex sana ratione disputatur, quæ vero hujus loci non est.

De

De idololatrarum ἀναπολογήσει legi meretur *Pfannerus* l. c. c. 22. de salute gentilium §. 26. p. 507. sqq.

§. X. Ἀναπολόγητος a) omnimodam importat excusationis ac defensionis defectum & negationem, ita ut homo nihil omnino habeat, quod contra decretum Dei pœnale in sui defensionem adferre possit, si vel maxime velit, sed, velit nolit, obmutescendo fateri eum oporteat, sibi a Deo injuriam minime fieri. Est scilicet vocabulum forense, metaphora a processu forensi desumta, atque idem, quod αὐτοκατάκριτος, *Tit.* III. 11. Juste nonnunquam infligitur in foro humano cuidam reo pœna justissima, quæ vero puniendo non justa videtur, sed ille varia excipit; ut ostendat, se ejusmodi pœnam non esse promeritum, sed illam aut prorsus injustam esse, aut certe nimis rigorosam nec delicto satis proportionatam; alii contra, si vel maxime illud non publice semper profiteantur, interne tamen convicti sunt, se pœnam irrogandam promeritos esse, & sibi a judice nullam fieri injuriam, hi dicuntur ἀναπολόγητοι. Quales e.g. sunt, qui alios jam antea judicarunt, & tali pœna dignos existimarunt, nunc vero idem committunt crimen. *Rom.* III. 1. Deus non tenetur ad rationem hominibus reddendam, est enim independens; nihil igitur peccaret, nec quicquam ejus justitiæ inde decederet, si homines propter quodlibet peccatum secundum rigorem justitiæ suæ puniret, sive illi hanc poenarum justitiam agnoscerent, sive minus b): interim Deus, qui in omnibus suam demonstrat gloriam, nonsolum vult justus *esse*, sed etiam justus ac æquus *videri*, atque neminem actu condemnat, nisi ἀναπολόγητον c). Hinc per singularem & admirandam

dam συγκαταβατῶν cum hominibus in judicium descendet, ubi illos de peccatis omissionis & commissionis accusabit, occulta in lucem protrahet & manifestabit, d) ipsisque liberam concedet facultatem, aliquid, si poterunt, pro defensione sua in medium proferendi, nec prius decretoriam pronunciabit sententiam, nisi postquam obmutuerint, e) ne scilicet ulli, quem condemnaturus est, videatur injuriam facere, aut personarum respectum habere f).

a) Conf. B. *Casp.* LOESCHERI Diss. cit. de θεογνωσίᾳ naturali, p. 60. sqq. Optime genuinus vocabuli sensus perspicitur ex significatione vocis contrariæ ἀπολογεῖσθαι, Act. XXIV. 10. XIX. 33. XXVI. 1 Luc. XII. 11. 12. XXI. 14. 15.

b) Conf. Rom. IX. 20. Job. IX. 2. 3. 14. 15. XVI. 21. XXII. 3. 4. XXXIII. 12. 14. XXXIX. 34. 35.

c) Hoc forte nonnullis videbitur παράδοξον, qui sine debita circumspectione ac restrictione nimis generaliter affirmant, omnes damnatos Deum esse blasphematuros & injustitiæ incusaturos, licebit igitur paucula hanc in rem disserere. Non quidem thesis nostra expressis verbis in scriptura s. invenitur, quantum recordamur, interim hujus asserti rationes habemus gravissimas. Nam 1) postulat illud *finis* actionum Dei *ultimus*, demonstratio scilicet gloriæ suæ, quæ sane latius perfectiusque demonstratur, si omnes de justitia sententiæ decretoriæ divinæ *interne* convicti sunt, quam si plures credant, sibi a Deo injuriam fieri, seque poenam irrogatam non esse promeritos. 2) Sunt homines, qui asserere non erubescunt, Deum creasse creaturas jam ante creationem ex absoluto quodam decreto ad æternam prædestinatas infelicitatem, quæ sententia in Deum maxime injuria est; condemnandi vero nonsolum ad illud credendum proni erunt, sed illud quoque jure quodam, saltem palliativo, defensuri videntur, si citra ἀναπολόγησιν æternis adjudicabuntur cruciatibus, atque sic Deus quodam modo causa moralis odii esse videtur atque blasphemiarum, quæ in illum a damnatis effutiuntur. Interim Deus T. O. M. nonsolum *omnium* hominum *serio* ac *sincere* intendit felicitatem, nullius autem, ne unius quidem, æternam infelicitatem, & omnia fecit, quæ modo sapienter poterat, plura autem, quam ad quæ obli-

gatus, erat ut hominorum perditorum salutem restauraret, sed toties quoque, & quidem sub juramenti fide, affirmavit, se nolle peccatoris mortem, velle autem, ut resipiscens æternum vivat, imo poenas esse ipsi alienum & peregrinum opus, (Es. XXVIII. 21. conf. *Seb.* SCHMIED. in h. l.) quod non nisi invitus efficiat: num igitur permittet, ut hæcce ejus gloria a damnatis firma mentis persvasione negetur? Nonne Christus condemnandis se ut justum exhibebit judicem, quemadmodum se ipsis jam exhibuit, ut gloriosum mortis ac diaboli victorem? Diviti lurconi tantillum solatii denegabatur, quantillum guttula aquæ frigidæ contra ardorem ac flammam indelebilem afferre poterat, num vero illud exiguum fore solatium putas, si damnati firmiter persvasi essent, Deum unicum suæ infelicitatis auctorem atque causam, seque ex absoluto quodam decreto ad æternos prædestinatos esse cruciatus, & jam injuste condemnatos? sic sane Dei gloria ex inferno prorsus exularet; nos igitur jure affirmamus, Deum gloriam justitiæ suæ nonsolum *in damnatis*, sed etiam *ipsis damnatis* demonstraturum esse, atque sic ostensurum, se finem suum ultimum semper & ubivis, etiam cum jactura finis intermedii, sapienter obtinere posse. 3). Si ipsi gentiles ἀναπολόγητοι, erunt, quibus omnium minima contigit gratia, multo magis aliæ gentes, quibus Deus ex sapientissimis rationibus majorem & *superabundantem* concessit gratiam. 4). Quare toties inculcatur, Deum accuratissimam postulaturum esse rationem ab hominibus de omnibus, quæcunque in hac vita egerunt, Matth. XII. 36. XVIII. 23. XXV. 19. Luc. XVI. 2. Rom. XIV. 12. Ebr. XIII. 17. 1. Petr. IV. 5. & quare reliquæ notabiles in judicio extremo locum habebunt circumstantiæ recensitæ, si Deus non intendit condemnandorum ἀναπολόγησιν? Alias rationes brevitati studentes omittimus. *conf.* Joh. *XV. 22.* III. *17. 18. V. 45. 46.*

d) Conf. Rom. II. 16. 1. Cor. IV. 5. XIV. 25. Eccl. XII. 14. Hinc impiorum peccata dicuntur a Deo asservari, Act. VII. 60. Hos. XIII. 12. atque scripta stylo ferreo & ungula adamantina, Jer. XVII. 1. piorum contra peccata oblita & in profundum maris projecta Mich. VII. 19, atque chirographus iis adversus sanguine Christi deletus, Col. II. *14.*

e) Conf. Matth. VII. 22. 23. XXII. 12. 13. XXV. 44. - 46. Dives iste Luc. XVI. solatium anxie expetebat, & gratiam extraordinariam ad convertendos fratres, nunquam autem conquestus est, sibi injuriam a Deo factam esse.

f) Maxime notabile est, quod Paulus ideo neget, in Deo esse προσωποληψίαν, quia illi, qui ἀνόμως peccassent, i. e. gentiles legem scriptam non habentes, etiam ἀνόμως perituri essent, i. e.

 eos

eos non ex lege scripta, sed naturali, judicatum iri, Rom. II. 11. 12. conf. Luc. XII. 47. 48. Hinc bene S. V. *Christ. Matth.* PFAFF. *Instit. Theol. Dogmat.* p. 16. *Gentiles, quicunque damnabuntur atque Evangelium nunquam audiverunt, ob rejectas notitias naturales damnandi veniunt.* Odio igitur persequentur damnati Deum, fortasse etiam illum blasphemabunt & nonnunquam verbis accusabunt injustitiæ, nunquam tamen sibimetipsis poterunt firmiter persvadere, sibi injuriam a Deo factam esse; & sane hæcce interna de justitia divina convictio non minimus erit cruciatus inter infernales.

§. XI. Sed gentiles ideo non desiissent ἀναπολόγητοι esse, si vel maxime veras Deoque dignas ex recto usu atque debita hujus universi contemplatione sibi formassent notiones, nisi simul Deum recte coluissent, atque reliqua legis naturalis præcepta studiose observassent. Tota enim naturalis Theologiæ scientia praxin vitæ respicit, & Deus ideo vult agnosci, ut colatur, atque ut per observationem voluntatis divinæ homines propriam promoveant felicitatem. Universalia quoque legis naturalis principia æque cognitu sunt facilia, quam propositio ista: *datur Ens supremum, quod omnes possidet perfectiones possibiles*, quin imo experientia testatur, plerosque gentilium generaliora quædam hujus legis præcepta observasse, licet distincte non agnoverint, ea esse leges, quas hujus universi conditor omnibus hominibus observandas in prima statim creatione præscripserit. Hinc Paulus v. 18. 25. ad γνωστὸν τοῦ Θεοῦ nonsolum refert ἀλήθειαν, i. e. principia theologiæ naturalis theoretica, sed etiam δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, i.e. principia practica, v. 32. accurate autem & emphatice c. II. 14. affirmat, gentes, scriptam legem non habentes, sibimet ipsis legem esse, & φύσει τὰ τοῦ νόμου facere a).

a) Sic rectissime iterum ex h. l. probatur, *legem naturæ* suo modo *esse insitam*, si per *notitiam insitam* non explicitas quasdam ac distinctas ideas innatas intelligis, sed facultatem principia universalia, & voluntatem Dei generaliorem, ex sana ratione sine difficultate agnoscendi, una cum instinctu quodam naturali nonsolum assentiendi veritatibus agnitis, sed etiam faciendi ea, quæ voluntati divinæ agnitæ conformia sunt. Hoc enim certum est, Paulum per τὰ τȣ̃ νόμȣ, quæ gentiles φύσει faciebant, non tam intelligere actiones legibus publicis civilibus prohibitas aut adprobatas, quam ejusmodi actiones, quas ex instinctu quodam naturali faciebant, & quibus vel omissis vel perpetratis nulla a magistratu civili metuenda erat poena, quas tamen, prouti cum lege naturali vel conveniebant vel disconveniebant, sequebatur vel quædam mentis tranquillitas, vel clandestinus quidam conscientiæ terror ac metus, licet ipsi plerumque ignorarent, nec satis explicare possent, quid timerent. Dari ejusmodi effectum legis naturæ, testante illud abunde satis experientia, sine temeritate negari non potest; ratio vero illius quodammodo concipitur ex nexu naturali, qui inter poenas naturales & multarum legum naturalium transgressionem datur. Quæ cum ita sint, quis negaret, legem naturæ dici posse *insitam*, & instinctum istum, faciendi vel fugiendi ea, quæ homini per se aut conveniunt aut disconveniunt, esse hominibus connatum ac naturalem? conf. BUDDEI *Instit. Theol. Dogm.* p. 203. 206.

§. XII. Datur igitur aliqualis actionum gentilium cum lege naturali conformitas, sed valde exigua ac imperfecta; ista enim, quod leges attinet verum veri Dei cultum præcipientes, apud plerosque nulla erat, quomodo enim respectu Dei facere potuissent τὰ τȣ̃ νόμȣ, cum verum Deum non agnoscerent? leges autem proximum respicientes nec omnes observabant, nec semper, nec tam perfecte, quam pro statu suo potuissent, nec erga omnes homines a): igitur ista quoque gentes non poterat transferre in statum ἀπολογήσεως. Interim b) hæc aliqualis actionum cum lege naturali conformitas sufficiebat ad demonstrandum, partim gentes ipsas, partim impios Judæos in judicio

divino esse ἀναπολογήτους, quem in finem omnia a Paulo proferuntur. Judæi sunt ἀναπολόγητοι, hi enim majorem gratiam consecuti sunt, nam κατηχούμενοι ἐκ τοῦ νόμου distincte agnoscebant voluntatem legislatoris, & tamen non erubescebant per transgressionem legis naturæ Deum contumelia afficere, v. 18-24. cum tamen gentiles, legem scriptam & distincte agnitam non habentes, suo modo φύσει τὰ τοῦ νόμου faciant. Gentiles ipsi sunt ἀναπολόγητοι, ista enim lex nonsolum agnitu, sed etiam *suo modo* observatu c) facillima esse debet, ad cujus observationem naturali quodam instinctu impellimur, & cujus *effectus*, territio nempe & αὐτάρκεια seu ἀπολογία, ita cordibus hominum inscriptus est, d) ut, licet distinctam hujus legis notitiam non habeant, post malefacta tamen terrorem atque timorem, post actiones vero huic legi conformes quandam animi tranquillitatem atque satisfactionem, interne sentiant, atque sic cogitationes eorum se mutuo accusent atque excusent e). Hæc tamen actualis cogitationum apud gentes ἀπολογία, post perpetrata facta legi naturæ conformia, non statim producit ἀπολόγησιν in judicio divino, nam actiones saltem particulares respicit, pleræque autem gentilium actiones sunt legi naturæ contrariæ, adeoque semper quædam adest cogitationum ac conscientiæ κατηγορία: cum vero ille, qui in unico offendit, totius reus sit legis violatæ, *Jac.* II. 10. hæcce particularis cogitationum ἀπολογία potius gentes magis reddit ἀναπολογήτους. Hæcce enim mutua cogitationum κατηγορία & ἀπολογία illos efficacissime impellere debuisset, ut nonsolum de solida atque perfecta totius legis cognitione soliciti essent, sed etiam ipsi legi *pro posse* in omnibus conformiter age-

agerent, atque sic summo studio laborarent, ut omnimodam sibi acquirerent cogitationum ἀπολογίαν, quod vero cum omiserint, ego sane non video, quid pro sui defensione in judicio divino afferre possent.

a) Paulus non dicit, gentes facere *ipsam legem*, quod de universali totius legis observatione explicari posset, sed τὰ τȣ νόμȣ, *quædam*, quæ cum lege naturali conveniunt.

b) *Andr.* OSIANDER ad *Rom.* I. 20. *etsi*, inquit, *notitiæ illæ naturales non sufficiunt ad perfectam Dei cognitionem, sufficiunt tamen ad convincendam impietatem gentium: quod scilicet ne id quidem, quod sciebant, fecerint, sed eam veritatis particulam in injustitia detinuerint.*

c) Loquimur non de perfecta & omnimoda legis naturalis impletione, quæ post lapsum Adæ nulli mortalium, maxime sibi relictorum, amplius possibilis est; sed de tali hujus legis observatione, qualis sub vires homini residuas cadit, & quæ consistit in sincero studio ac firmo proposito, conformandi ad hanc legem omnes suas actiones, & nihil sponte ac deliberate committendi, quod huic legi contrarietur.

d) Nullo modo ex hisce verbis probari potest, dari *ideas innatas*, nam 1) Paulus non loquitur de omnibus hominibus in genere, sed de iis tantum, qui habent conscientiam anteactorum, & quorum cogitationes se invicem accusant & excusant, quod necessario præsupponit usum rationis. Cum igitur infantes & embryones non habeant conscientiam anteactorum, nec judicium ferre possint de actionum suarum moralitate, sequitur, quod illorum quoque cordibus nondum inscriptus sit effectus ille legis. *Res ipsa docet*, inquit BUDDEUS *Instit. Theol. Dogm.* p. 205. *nos non de illis loqui, qui rationis usu destituuntur, sed de hominibus, qui eo pollent, & adeo ad hocce mentis suæ examen rite instituendum idonei sunt: itemque de illis, qui veritati non resistunt, aut huncce naturæ instinctum data opera non suffocant, aut supprimunt.* 2) Probe observandum est, quod non *ipsa lex* inscripta dicatur cordibus gentilium, sed *legis* tantum *opus* seu *effectus*, accusatio scilicet & excusatio cogitationum ob facta anteacta; hic legis effectus necessario præsupponit antecessam quandam legis notitiam *actualem*, sive perfectam sive imperfectam, sive distinctam sive obscuram & confusam, sive adhuc integram, sive rursus amissam, obliteratam & obscuratam; ejusmodi autem *actualis* legis cognitio in infantes ante omnem rationis usum nullo modo cadit, neque de iis dici potest, eos *sponte & scientes* committere actiones legi naturæ vel contrarias vel convenientes; quomodo igitur dici potest, illum legis effectum, conscientiam nempe seu judicium de morali-

tate anteactorum, illorum jam cordibus inscriptum esse? 3) Phrasis ista: *inscriptum esse cordibus*, ex perpetuo usu biblico nunquam denotat *notitiam* quandam *innatam* & *connatam*, sed semper *acquisitam*, & quidem tenaciter menti impressam, cum firmo proposito, nunquam tradendi eam oblivioni, sed ejus semper recordandi, conf. Prov. III. 3. coll. v. 1. VII. 1-3. Jer. XVII. 1. XXXI. 33. 2.Cor. III. 2. 3. Ebr. VIII. 10. X. 16. Quibus addo quædam loca parallela, ubi phrases synonymicæ occurrunt, nostram phrasin illustrantes & explicantes, e. g. Deut. XXX. 14. Ps. XL. 9. XXXVII. 31. Prov. VI. 21. Rom. V. 5. X. 8. 2. Cor. VII. 3. Eph. III. 17. Phil. I. 6. 7. Jac. I. 21. Apoc. XVII. 17. Cum vero sine urgente necessitate a perpetuo alicujus vocis vel phrasis usu biblico recedendum non sit, etiam h. l. non intelligendæ erunt *ideæ* quædam de lege naturali gentibus *innatæ*, sed verba Pauli ita potius explicanda sunt: quod, licet gentes distinctam legis naturalis notitiam non habeant, nec quoque solliciti sint, ut sibi distinctam ejus notitiam compararent, illa tamen lex cuivis pateat & adeo manifesta sit, ut nonsolum a quovis, rationis usum possidente, facile & sine magno negotio cognosci queat, & homines φύσει, instinctu quodam naturali, ferantur ad facienda τὰ τῦ νόμȣ, sed demonstrari etiam possit, effectum legis obscure semel tantum cognitæ, territionem nempe ob malefacta, & animi tranquillitatem ob benefacta, adeo firmiter eorum cordibus inscriptum esse, ut per nullam subsequentem malitiam ac indurationem prorsus eradicari possit: quando enim aliquid commisissent legi naturali vel conveniens vel repugnans, tunc conscientiam eorum illos ea de re arguere, atque producere in iis vel mentis quandam tranquillitatem, si bene egissent, vel timorem quendam clandestinum, si malum commisissent, licet nihil propterea a magistratu civili ipsis metuendum sit. B. *Buddeus* interim hanc ἀπολογίαν de conatu saltem conscientiam tranquillandi explicat, l. c. dicens: *Ex insita hacce Dei notitia, accedente etiam acquisita, conscientiæ hocce dictamen oritur, quo homines legem divinam migrantes, se ipsos mox accusant, aut omnino damnant, mox autem, quæ innocentiæ πρόφασιν præbere possunt, conquirentes, excusare iterum vel absolvere adnituntur.*

d) Hæc excusatio particularis saltem est in *foro conscientiæ*, & facta immediate antegressa aut in memoriam revocata respicit; *est hoc, testimonium conscientiæ nihil aliud*, inquit CALIXTUS in h. l. *quam applicatio cognitionis habitæ de honesto & turpi ad propria* particularia *facta, utrum bene vel male acta fuerint.* Potest tamen ab hac ad ἀπολόγησιν in *foro divino* hoc modo concludi: quando gentiles *omnia* ea, quæ lex naturæ, quatenus sub lumen rationis cadit, præcipit, *sponte* & *semper* fecissent, nec unquam

quam aliquid sponte ac scientes huic legi contrarium commisissent, tunc quidem adhuc propter peccatum immanens, & quia Christum ignorant, essent filii iræ, non autem ἀναπολόγητοι, sed haberent, quod contra actuale Dei decretum pœnale objicerent, atque pro defensione sui in medium proferre possent, quod scilicet omnia fecissent, quæcunque modo pro statu suo ipsis possibilia fuissent; ignorantiam vero mediatoris & carentiam fidei salvificæ ipsis jure non posse imputari, Deum enim ipsis nihil hac de re revelasse, neque etiam Evangelii famam ad illos pervenisse, (hoc enim præsupponitur, si ἀπολόγησις locum habere debet) se vero per lumen rationis nullo modo ad hanc cognitionem pervenire potuisse. Sed de hoc mox plura dicenda erunt.

§. XIII. Legis naturæ summa in eo consistit, ut Deum super omnia amemus, & proximum nostrum sicut nosmet ipsos, *conf. Matth.* V. VI. VII. XXII. requirit igitur nonsolum actionum externarum conformitatem, sed rectitudinem quoque cordis & cogitationum omnimodam. Ea post lapsum Adami hominum miserrimorum sibi relictorum est conditio, ut ne cognoscant quidem internum legis sensum, & quantam illa perfectionem requirat, *Rom.* VII. 7. multo minus legem perfecte observare atque implere possunt. Ignorat etiam a) sana ratio medium placandi Deum peccatis offensum, & Christum unicum mediatorem inter Deum & homines, ut adeo de *insufficientia* religionis naturalis ad veram salutem consequendam nulla ratione dubitari possit. b) Quodsi igitur gentiles etiam omnia fecissent, quæcunque modo per vires naturæ residuas ipsis fuerunt possibilia, sunt tamen & manent filii iræ, ac rei mortis æternæ. Nec affirmari potest, ipsos, vi meriti Christi, per *fidem*, nescio quam, *implicitam* salvatos esse, licetChristum salvatorem prorsus ignoraverint c): fides enim necessario quandam præsupponit

nit mediatoris agnitionem, ſive per media ordinaria acquiſitam, ſive per extraordinariam Dei gratiam productam, uti in infantibus, *conf. Rom.* X. 14. Hoc non obſtante, certiſſimum eſt, Deum non eſſe in culpa, ut gentiles æternum pereant, ſed ipſum horum omnium ſalutem *ſerio* velle & intendere, ac illis ſemper *ſufficientia* conceſſiſſe media agnoſcendi viam ſalutis veram, etiam ſub ipſa legis œconomia d). Nonſolum enim ipſa ſana ratio & religio naturalis ex intentione Dei eſt *manuductio* quædam *ad revelationem*, e) ſed Deus etiam ſubinde varios inter gentes excitavit præcones juſtitiæ, eosque tot modis, nobis magnam partem ignotis, vocavit ad quærendam veram religionem, ut vix affirmari poſſit, fuiſſe unquam homines, qui prorſus nihil de vera religione audiverint, atque nullo modo ad ejus agnitionem pervenire potuerint.

a) Quia in ſcriptis gentilium nonnulla occurrunt loca, quæ quandam cum placitis chriſtianæ religionis habere videntur analogiam, & quodammodo iis convenienter explicari poſſunt, multi crediderunt, gentiles obſcuram quandam de mediatore aliisque myſteriis habuiſſe cognitionem, *conf. Tob.* PFANNER *Syſt. Theol. Gent. pur.* c. III. IV. qui tamen c. 3. §. 6. p. 145. recte negat, illos hanc qualemcunque notitiam ex ſana ratione hauſiſſe, ſed *reſtat*, inquit, *ut traditionis ope id ad gentiles deveniſſe dicamus, ſi modo deveniſſe concedi poteſt*. Hoc certum eſt, multa loca, quæ allegari ſolent, adhuc incerta & ſubleſtæ fidei eſſe, quo refero oracula Sibyllina, de quibus *conf.* PFANNER l. c. c. 1. §. 4. p. 7. ſqq. interim negari non poteſt, multos gentilium multa ex litteris ſacris accepiſſe, *ſive ex ipſa illarum lectione, ſive ex qualicunque conſuetudine cum Hebræis. ſive ex aliis rivis illa hauſerint*, inquit idem *Pfannerus* l. c. §. 5. conf etiam *Raymundi* BREGANII *Theologiam gentilium*, librum rariorem, *Venet.* 1621. excuſum, *Enarrat.* 2. c. 13. p. 61. ſq. Et hæcce obſcura licet mediatoris ac veræ religionis agnitio gentes magis reddit ἀναπολογήτους, & oſtendit, ipſos utique a Deo ad ſalutem vocatos eſſe. Ipſe vero BREGANIUS enarr. 1. c. 16. p. 16. omnem veram gentilium notitiam de Deo rebusque divinis *gratiæ Dei ſpeciali* tribuit,

&

&c. 12. p. 21. affirmat, ipsis multas factas esse mysteriorum revelationes, provocans post alios ad *D. Thomam* in 22. q. 172. *ar.* 6. ita differentem: *Prophetæ dæmonum non semper loquuntur ex dæmonum revelatione, sed interdum ex inspiratione divina, sicut manifeste legitur de Balaam, cui dicitur Dominus esse locutus, Num. 22. licet esset propheta dæmonum. Unde & per prophetas dæmonum Deus aliqua vera prænuntiat, tum ut credibilior fiat veritas, quæ etiam ex adversariis testimonium habet: tum etiam quia, cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur. Unde etiam Sibyllæ multa vera prædixerunt de Christo. Sed etiam quando prophetæ dæmonum a dæmonibus instruuntur, aliqua vera prædicunt, quandoque quidem virtute propriæ naturæ, cujus auctor est Spiritus S. quandoque etiam revelatione bonorum spirituum. Et sic etiam illud verum, quod dæmones enunciant, a Spiritu S est.* En specimen nugarum Scholasticæ theologiæ!

b) Recte MUSÆUS in Diss. *de luminis naturæ insufficientia ad salutem*, §. 32 p. 20. *si alia*, inquit, *non esset causa. cur ad salutem nemini sufficere possit lumen naturæ, hoc solum, quod placandæ iræ divinæ expiandorumque peccatorum medium efficax, validum & sufficiens suggerere nullum potest, causæ satis esset.* conf. S. V. *Christ. Eberh.* WEISMANNI *Instit. theol. exeg. dogm.* p. 64.

c) Huc spectat POIRET, qui gentiles per lumen quoddam internum salvatos esse tradit in *Oecon. div.* l. 3. c. 13. in *Posthumis* autem, in *Vindic. verit. & innocentiæ* l. 4. c. 7. p. 593. affirmat, *eos salvatos esse merente ac auctore Christo, qui licet quoad literam historiæ ignotus, realiter tamen in illis operatus sit, quicquid illi habuerunt boni.* Ipse quoque S. V. PFAFFIUS in *Instit. Theol. Dogm.* p. 39. in dubium vocat, omnes credentes in V T. *explicitam* de Messia notitiam habuisse.

d) *conf.* Joh. III. 16. 1. Tim. II. 4. 2. Pet. III. 9. Ez. XXXIII. 11. Recte auctor tractatus *de vocatione gentium*, quem plerique *Ambrosium* esse volunt, l. 2. c. 5. affirmat: *gentes ne tunc quidem omnino pro derelictis habendas esse, cum penes Israelitas ferme solos veræ religionis jus esse videretur; adhibitam enim semper fuisse hominibus universis quandam mensuram supernæ doctrinæ, quæ etsi parcioris occultiorisque gratiæ fuisset, suffecisset tamen, sicut Dominus judicaverit, quibusdam ad remedium, quibusdam ad testimonium.* conf. WEISMANNUS l. c. p. 772. BALDUINUS *Cas. Consc.* p. 70. & QUENSTEDT. *Syst. Theol* P. 3. p. m. 12. Prolixe vero *Jo. Conr.* DURRIUS in Diss. cit. § 1. sqq. ostendit, gentibus nullo tempore defuisse præcones justitiæ. Notatu etiam digna sunt verba *Seb.* SCHMIDII in *Comment. in Iob.* p. 7: *Hoc certum manebit*, inquit, *quod salvati etiam sint ex gentilibus multi, ad quos non pertinebat promissio terræ & Israelitarum prærogativæ. Maxime hoc certissimum manet, cum*

Jiob inter gentiles vixerit in terra Uz, ut Patriarchæ in Canaan, & propheta inter gentes fuerit, quod Deus gentes etiam sub V. T. *ad fidem & salutem vocaverit, nec per absolutum aliquod decretum excluserit. Quod notatu dignum est & addendum, quod* plures *ejusmodi prophetas habuerint gentiles præter Patriarchas & Jobum.* Provocant ad hæc verba, eaque approbant, BUDDEUS H.E.V.T.T.I.p.296 OLEARIUS in tractatu: *Jesus der wahre Messias*, p.302. & *Jo.Henr.* MAJUS in *Oecon.* V.T.c.12. §.7.p.361. qui Jobum vocat prophetam, sacerdotem doctoremque inter gentiles, per quem Deus ad communionem veræ ecclesiæ vicinas gentes vocaverit, iisque fœdus gratiæ annunciaverit atque obtulerit.

e) *conf.* WEISMANNUS l. c. p. 54. Consistit vero hæc religionis naturalis manuductio maxime in eo, ut ostendat, omnes homines esse peccatores, ipsam naturalem religionem imperfectam & insufficientem, & specialem Dei revelationem ad placandum Deum & salutem acquirendam necessariam esse. Optime iterum laudatus WEISMANNUS in *Schediasm. Acad.* p. 606. *Propter summam & universalem generis humani corruptionem altioribus & efficacioribus remediis opus fuit, ad homines e feralibus illis tenebris, erroribus & periculis eruendos, in quibus eos omnes perituros fuisse absque beneficio revelationis & gratiæ Dei specialis, etiam extra Scripturæ S. testimonium ipsa rei natura tam certo demonstrat, quam certum & necessarium est, pereundum esse homini ex morbo lethali medicinæ ordinariæ vim supergresso, nisi aliunde pharmaca validiora & extraordinaria ad eum frangendum depellendumque accesserint.* Dum igitur hæc ostendit sana ratio, impellit simul homines non malitiose resistentes efficacissime, ut vel de vera religione agnoscenda soliciti sint, si ejus fama ad illos pervenit, vel, si nihil prorsus de eadem audiverunt, quod tamen vix probabile est, Deum sinceris implorent precibus, ut ipse illos edocere velit, quid faciendum sit, ut veram consequantur felicitatem. Hoc nisi fecerint homines, sunt & manent ἀναπολόγητοι.

§. XIV. Quotquot igitur ex gentilibus damnantur, sua culpa pereunt, & ἀναπολόγητοι sunt, aut enim non omnia fecerunt, quæ per vires naturæ ipsis possibilia erant, atque sic judicantur ex lege naturali, aut famam evangelii ac veræ religionis spreverunt reliquaque media, per quæ benignissimus Deus eos ad quærendam & amplectendam veram religionem vocavit. Neque etiam dicere possunt, solam evangelii famam

ac

ac reliqua media non fuisse *sufficientia* ad eorum salutem promovendam: unde enim probabunt, aut ista media *insufficientia* fuisse, aut Deum obligatum fuisse, ut majorem & uberiorem gratiam iis concederet, si mediis concessis vel prorsus non vel minus recte usi sunt? Qui in minimis fidi non sunt, illi quoque digni non sunt, quibus plura & majora talenta concredantur; quodsi vero fidi fuissent, tunc Deus T. O. M. ipsis sine dubio ulteriorem & largiorem gratiam concessisset. a) Non simpliciter negamus, quod quidam gentilium forte omnia ea actu fecerint, quæcunque per lumen rationis ipsis possibilia fuerunt; adsunt tamen rationes dubitandi non contemnendæ. Constat enim, quanto impedimento sint etiam sanctis, multo magis gentilibus, ad recte semper & voluntati divinæ *agnitæ* conformiter agendum, diaboli machinationes & mundi illecebræ, maxime vero peccatum inhabitans, quod ipsos sanctos ad bonum segnes reddit, *Ebr.* XII. 1. ut sæpe, quod volunt, bonum non faciant, malum autem, quod secundum interiorem hominem aversantur, faciant, Rom. VII. 18. seqq. *conf.* etiam *Rom.* III. 9. seqq. Ps. XIV. 2. 3. Determinate certe & individualiter affirmari non potest, e. g. Socratem, Platonem, Epictetum &c. b) fecisse omnia, quæcunque modo ipsis fuerint possibilia, nam licet forte concedi posset, illos semper ab omnibus externis & crassioribus vitiis se abstinuisse, quis vero testis fide dignus nos certos reddere potest, de mentis eorum rectitudine perpetua, (§. 13.) & quod nullos prorsus de Deo legeque naturali foverint errores, nisi per lumen naturæ prorsus invincibiles? Quis demonstrabit, eos qualicunque sua notitia, quam de I-

ſraëlitarum Deo ac religione habuerunt, recte uſos, atque de vera veri Dei agnitione acquirenda ſolicitos fuiſſe? Qvæ vero cum ita ſint, quid mirum, quod Deus iis largiorem gratiam & publicam verbi divini prædicationem denegaverit?

a) *Negligentia & impietate ſua meruerunt gentes*, inquit DURRIUS l. c. §. 44. *ut Deus eos permitteret ſuo perverſo abundare ſenſu, & ut traderet in deſideria cordis ſui, nec dignaretur ulterioribus & amplioribus auxiliis.* Et PFANNER l. c. c. 22. *de ſalute gentilium* § 27. p. 511. recte monet & probat, illos gentiles quoque, qui ab idololatriæ crimine ſe puros præſtiterunt, plurima tamen ignoraſſe, quæ noſcere, uti ad ſalutem intererat, ita, ſi debitam tantæ rei induſtriam impendiſſent, noſcere potuisſent.

b) Jure igitur taxatus fuit ZWINGLIUS, quod in *expoſ. fidei chriſt.* T. II. p. 559. b. in ſodalitatem ſanctorum & electorum retulerit Herculem, Theſeum, Socratem, Ariſtidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones &c. Excuſare interim illum conatur *Jo. Henr.* HOTTINGERUS in H. E. N. T. Tom. VIII. p. 289. ſqq. quod alias ex profeſſo ſalutis fontem oſtenderit unicum, Chriſtum ſervatorem, & quod abſque fidei conditione ſalutem nemini adjudicaverit; ſed fidei donum, ex charitatis regula, non iis ſtatim, qui inter ordinarie vocatos non erant relati, noluerit denegare. POIRET etiam huc pertinet, qui in *Oecon. div.* l. 3. c. 13. p. 750. arbitratur, genium Socratis, qui ipſum informaverit, in viis ſuis direxerit, ad virtutem formaverit, boniſque & ſalutaribus conſiliis nunquam non inſtruxerit, fuiſſe ipſum bonum Dei ſpiritum, cui & vir ſanctus ſeſe perpetuo commendaverit, Deumque oraverit, ut ſua ipſi in omnibus adeſſet gratia, qua non ſuæ propriæ, ſed divinæ voluntati ſoli pareret; id quod etiam adeo exacte ſemper obſervaverit, ut imminente morte, quam ceu verus martyr virtutis voluntatiſque divinæ ſubierit, defenſionem ſui ſuſcipere noluerit, perinde uti nec Chriſtus, eo quod Spiritus, cujus conſilio in rebus agendis utebatur, id ſibi non permitteret. Lege quoque, quæ hac de re erudite differuntur in *progr. pentecoſt.* hujus anni, *de fervore precum propter Spiritum S.* p. 11. ſqq.

§. XV. Neglectus tantum uſus genuinus, aut abuſus luminis rationis, gentiles reddit ἀναπολογήτες, quando

quando nempe, non obſtante propenſione naturali ad credendum & colendum Deum iis connata, de legis naturæ ac legislatoris agnitione facillima aut prorſus non ſoliciti fuerunt, aut gloriam & veritatem Dei mutarunt in mendacia craſſiſſima ac ſtolidisſima, aut tandem non pro poſſe actiones & cogitationes ſuas legi naturæ conformarunt, & vocationi divinæ qualicunque ad veram Eccleſiam immorigeri fuerunt. Sed *posſibilis* eſt ſtatus eorum, qui nihil unquam de Chriſto aut vera religione audiverunt, pro poſſe tamen actiones & cogitationes ſuas legi naturæ conformant, inſuper quoque imperfectiones ſuas agnoſcentes, & quod Deum peccatis ſuis ad iram provocaverint, ſummum Numen ardentiſſimis implorant precibus, ut ipſis pro immenſa ſua miſericordia peccata remittere, veramque ſalutis viam monſtrare velit. a) Dubitamus ex rationibus §. 14. allegatis, quod unquam tales extiterint; quodſi vero extiterunt, non fuiſſe videntur prorſus ἀναπολόγητοι: licet enim facile convinci poſſint a Deo, ſe cruciatus infernales peccatis ſuis eſſe promeritos, nunquam tamen, ſi actu damnantur, credent, apud Deum nullam eſſe προσωποληψίαν, niſi ipſis, qui *ſine ſua culpa* ordinaria ſalutis media ignorarunt, *extraordinarie* ſalutem in ſalvatore obtulerit, atque ſic gratiam ad converſionem *ſufficientem* ipſis actu conceſſerit. Invictæ ſunt veritates, extra Jeſum Chriſtum nullam dari ſalutem, & hujus ſalvificam agnitionem per vires naturæ prorſus impoſſibilem eſſe; nihil quoque diſertis verbis in Scriptura S. de gratia extraordinaria deſcriptis gentilibus concedenda revelatum legimus b); ſed nec ullibi quoque dicitur, Deum ſimpliciter illud nolle

le facere, aut semet ipsum ita adstrinxisse ad usum mediorum salutis ordinariorum, ut nullorum unquam hominum salutem per gratiam extraordinariam promovere possit, si ejus sapientiæ ita visum fuerit. Num vero Deo indignum est, aut cum summis ejus perfectionibus pugnat, his, qui mediis ad conversionem ordinariis omnibus sine sua culpa destituuntur, interim omnia fecerunt, quæcunque per vires naturales potuerunt, ut adeo nulla ipsis malitiosa repugnantia adversus gratiam adscribi possit, quique insuper culpam suam agnoscunt, & ulteriorem illuminationem sinceris precibus sibi expetunt, per media extraordinaria & modo extraordinario, sive ante mortem sive in mortis hora, conferre notitiam mediatoris & fidem in eum, atque sic illos per & propter Christum salvos reddere?

a) Probe observandum est, nos in hoc & sq. §. non loqui de iis, qui ullo modo per media ordinaria ad agnitionem viæ salutis pervenire potuerunt, & evangelii, cujus fama apud illos innotuit; sed de iis, si unquam tales extiterunt, qui prorsus nihil per totam vitam suam de vera religione ac de evangelio audiverunt, & tamen omnia fecerunt, quæcunque modo per vires naturæ ipsis fuerunt possibilia.

b) Ex sapientissimis rationibus Deus nihil hac de re in Scriptura S. expressis verbis declaravit; nam 1) illud nihil ad nostram salutem conferre poterat; 2) constat, quanta hominum lumen revelationis habentium malitia sit & perversitas, ut contra clarissima Scripturæ oracula, imo contra ipsum rationis lumen, multa garriant de sufficientia luminis rationis ad salutem: quod si igitur Deus in suo verbo expresse declarasset, se velle gentiles quosdam rationis lumine recte utentes extraordinario modo illuminare & ad salutem perducere, nonne isti hoc abutentes audaciores & pertinaciores futuri essent in propagandis & defendendis erroribus suis? 3) Multi quoque ex Christianis, Naturalismo alias non faventes, eo abuti, &, licet falsissime, concludere potuissent: si Deus gentilibus extraordinarie fidem conferre vult, etiam tu illud ab eo expectare potes, adeoque secure vivere, donec Deus te extraordinario modo convertat; potior enim Christianorum, inprimis rudiorum, pars in erronea ver-

fatur opinione, se in genere, & propter nativitatem suam in vera ecclesia, apud Deum in majori gratia, Deoque magis curæ cordique esse, quam gentiles, licet ipsi pejores sint gentilibus, nec unquam, quid Deo in fœdere baptismali promiserint, recordentur.

§. XVI. Non vero sine ratione de salute gentilium antea descriptorum, per *extraordinariam* Dei gratiam promovenda, bene speramus. Nam 1) charitas christiana bene de omnibus sperat, & neminem condemnat, nisi quem ipse Deus in verbo suo condemnavit, *Luc.* VI. 37. 1. *Cor.* XIII. 7. *Rom.* XIV. 3. 4. 10. 2) Nos supra §. X. *not.* c. rationibus non contemnendis ostendimus, Deum neminem actu condemnare, nisi ἀναπολόγητον. 3) Extant in Scriptura S. exempla hominum in ipsa Ecclesia viventium, quos tamen Deus extraordinaria gratia ad conversionem dignatus est; quare illud non posset quoque extra Ecclesiam facere? Illi, qui in ecclesia vivunt, agnoscere debent, uberrimam illam, qua fruuntur, gratiam non debitum esse, sed merum opus divinæ misericordiæ; peccant vero, si sibi imaginantur, Deum eorum tantum misereri velle. Deus potius 4) gentilium salutem æque serio desiderat, nec isti, qui a christianis nascuntur parentibus, in se Deo cariores sunt, quam nati ex gentilibus; his igitur sine dubio sufficientia concedit media ad salutem, &, si mediis ordinariis prorsus destituti sunt, & nihil unquam de Christo mediatore audiverunt, lumine rationis vero recte utuntur, tunc sperandum omnino est, quod *extraordinaria* ipsis suppeditaturus sit media: ipsa enim sana ratio & lex naturæ post lapsum non amplius est medium salutis, sed tantum pædagogus ad statum miseriæ & necessitatem revelationis agnoscendam.

dam. 5) Christus pro nemine frustra mortuus est, nisi qui meritum ejus *ipsis oblatum* malitiose spernunt, nec Jesum pro salvatore suo agnoscere volunt; sed de gentilibus descriptis dici non potest, quod Christum ejusque meritum sibi naturaliter prorsus ignotum malitiose spreverint, ignoti enim nulla datur cupiditas, nulla aversatio, E. Christus aut pro hisce gentilibus nulla eorum culpa frustra mortuus est, aut iis vel ordinario vel extraordinario quodam modo manifestandus erit. 6) Deus gloriam suam tam late tamque perfecte demonstrare vult, quam sapienter fieri potest; sine dubio salvandis gloria divina in toto suo ambitu perfectius demonstratur, quam damnandis; E. Deus iis ex gentilibus, qui omnia fecerunt, quæcunque modo ipsis possibilia fuerunt, sine dubio viam salutis veram modo potius extraordinario revelabit, quam illos ob defectum sufficientium salutis mediorum æternum perire permittet. a) Nec 7) existimandum est, gentiles omni destitui gratia prævenienti: Spiritus S. enim etiam per sanam rationem operatur, & gentiles non malitiose resistentes ac ratione sua recte utentes per lumen rationis de miseria sua & insufficientia religionis naturalis ad salutem convincit, eosque impellit, ut de salute sua per vires naturæ consequenda desperantes Deum arduis ac sinceris precibus implorent, ut veram ipsis monstrare velit salutis viam; quanta vero seriarum precum veram illuminationem respicientium efficacia sit, patet exemplo Cornelii Centurionis, qui, sive proselytus fuerit sive non, tamen nondum salvifica fide in Christum mediatorem, per concionem Petri demum agnitum, imbutus erat. b) Denique lectoribus meis sequentia

tia loca accuratius perpendenda relinquo, Act. X. 34. 35. coll. Joh. XV. 22. Rom. II. 7. sqq. IV. 29. Apoc. XXI. 24. sqq. I. Tim. I. 13.

a) Cogita quæso, anne sic Christus diabolo super hosce gentiles sponte quasi relicturus esset victoriam, in quibus tamen sapienter destruere posset opera diaboli, si nempe ipsis vel ordinario vel extraordinario modo veram salutis viam revelaret?

b) Rationibus pugno, non auctoritate: quia interim multis, qui jurarunt in verba magistri, ipsa cujusdam sententiæ apparens novitas jam hæresis esse videtur, quædam Nostratium de quorundam gentilium salute bene sperantium testimonia adjiciam. Huc pertinet B. LUTHERUS, qui nonsolum in *Convival.* c. 22. dixit: *Cicero ein weiser Mann, wie auch Seneca, ich hoffe, Gott werde ihnen gnädig seyn;* sed etiam *in Gen.* 4 & 9. existimasse dicitur, *multis gentilium salutem contigisse per extraordinariam Dei misericordiam. Neque tamen decet,* addit, uti monet MUSÆUS *de usu princip. rat. contra Vedel* l. 3. c. 12. §. 42. *nos hæc pro certis affirmare, neque definire aut concludere, ut quibus verbo tantum revelato:* qui crediderit &c *inhærendum.* Citantur verba ista Lutheri a POIRETO in *Posthumis* l. c. & PFANNERO l. c. c. 22. §. 6. Sed ingenue profiteor, me hunc locum in *Lutheri Commentario in Genesin* invenire non potuisse, conf. interim *Tom.* IV. *Jen. Germ.* fol. 114. *a.* Huic jungo *Gottfr.* OLEARIUM, qui in tractatu: *Jesus der wahre Messias*, p. 301. sqq. inquit: *Gott hat sich seiner Seits denen Heyden nicht unbezeuget gelassen,* Act. XIV. 17. Rom. I. 20. *Es ist auch kein Zweiffel, daß, wo sich einige unter denselben gefunden, welche diesem allgemeinen Ruffe in dem natürlichen Lichte gefolget, solchen Gott, nicht zwar, als wenn sie mit solcher Folge dergleichen verdienet, sondern nach seiner Gnade, nach welcher er dem, der da hat, und sich desselben rechtschaffen gebrauchet, mehr geben will, einen* fernern besondern *Gnaden-Ruff werde gegönnet haben.* Et paucis interjectis de mediis, per quæ Deus gentiles in V. T. vocaverit, pergit: *Woraus denn abzunehmen, daß Gott, wo seine Gnade keinen Widerstand gefunden, den Mangel der äuserlichen und ordentlichen Predigt durch unmittelbahre Erleuchtung von dem verheissenen Weibes-Saamen und Welt-Heyland, als der seiner Seits an die ordentlichen Mittel nicht gebunden war, habe ersetzen können. Wie hiervon einer unserer christlichen und gelehrten Theologen, Nahmens* Johannes RIVIUS, *wohl geredet:* Neque hæc interim negarim, (sunt verba RIVII) potuisse ex ethnicis permultos, admirabili dispensatione Dei & occulta inspiratione unum ad Deum

& agnoſcendum & colendum pertrahi: potuiſſe Deum variis modis ethnicorum animis ſeſe patefacere, atque oſtendere eis lumen veritatis ſuæ, ut & pie ſancteque viverent, id quod aliquos feciſſe legimus, & ſalutem divinitus expectarent. Immenſa eſt enim bonitatis ac munificentiæ Dei largitas, neque ullus eſt ei præſtituendus aut finis aut modus. Occurrit ergo ultro bonis mentibus ſæpe Deus, & voluntate ad accipiendum paratis dona ſua impertit. Quin & Apoſtolus ad Romanos Ethnicis, quod de ipſo cognoſci poteſt, id patefeciſſe teſtatur. Quamvis autem nulli unquam ætati, nulli hominum generi, defuerit ad ſalutem adipiſcendam providentia Dei: tamen extra Chriſtum neminem ullo ſeculo conſervatum eſſe, omnibus ſine dubio eſt confitendum. *Aus welchem allen denn abzunehmen, daß nicht alle, ſo vor des Herrn Meſſiæ Zukunfft unter denen Heyden gelebet, unfehlbahr verlohren und verdammet worden, hingegen diejenigen, welche ſolches erſchreckliche Gericht betroſſen, ſelbſt Schuld daran geweſen* &c. Spectat huc quoque DURRIUS, qui in Diſſ. cit. §. 57. *De Americanis*, inquit, *incertum eſt, utrum Evangelii prædicatio unquam illis fuerit oblata. Id interim ſatis conſtat, cognitam illis fuiſſe animæ humanæ immortalitatem, & quod poſt hanc vitam ei vel bene vel male ſit futurum, agnoviſſe. Quam notitiam ſi bene collocaſſent, dubium nullum eſt, quin Deus, qua eſt* φιλανθρωπίᾳ, *rectum & diligentem iſtius notitiæ uſum ulteriori eaque, quæ ad ſalutem gradum ſtruit, manifeſtatione ſuæ voluntatis compenſaſſet, ſive id ordinario modo præſtitiſſet per prædicationem Evangelii ab ordinariis Miniſtris factam, ſive per angelorum miſſionem, ſive alio modo nobis etiam minus cognito.* WEISMANNUS quoque in *Inſtit. Theol. cit.* p. 817. affirmat, *materiam de vocatione univerſali omnium hominum ad ſalutem vix intelligi poſſe, niſi ſtatuatur, etiam extra verbi externi prædicationem, ſpecies quædam veræ gratiæ in* J. C. *fundatæ conjunctæ cum mediis pædagogicis externis & internis, quibus nemo deſtituitur.* Alii contra huic ſententiæ non quidem ſubſcripſerunt, interim nec eam tanquam erroneam rejecerunt, quo refero BALDUINUM, ſcribentem in *Caſ. Conſc.* p. 71. *An Deus extraordinarie eorum velit miſereri, quos jure damnare poſſet, nihil revelatum eſt in verbo, ideoque nihil a nobis affirmari poteſt.* FECHTIUM, cujus verba ex *Theſ. Polem.* §. 31. allegavit S. V. *Chriſtoph. Henr.* ZEIBICH. in tract. *de prædeſtinat. & reprob. infantum* p. 185: *Si de abſoluta & extraordinaria, ſi ita loqui licet, potentia ſalvandi duntaxat ſermo eſt, tum, qua non credentes infantes extra verbum & ſacramenta*, fidem iis infundendo, *ſalvare Deus poteſt, eadem & poſſe adultos, ſuppoſito merito Chriſti, qua ratione nihil privilegii infantibus relinquitur, dubium eſſe non poteſt.* QUENSTEDIUM l. c. P. 3. p. 8. b. ita contra Calvinianos diſſerentem: *Quid prodeſt generalis iſte amor Dei non electis, vel reprobis? Si*

annexam habet istam ex absoluto Dei beneplacito & decreto impossibilem conditionem, si credant. *Nam Deus decrevit secundum Calv. eos fide non donare. Ex suis etiam propriis viribus credere nullatenus possunt. Argumentamur itaque contra istam perversam opinionem ita: si Deus ita dilexit mundum totum, ut ei toti dederit suum filium unigenitum Salvatorem, illum etiam sic dilexit, ut illi toti velit fidem salvificam dare. Sed Deus ita &c. Hanc connexionem approbat Paulus* Rom. VIII. 32. *inquiens:* qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut non & tum illa omnia (ad salutem æternam nobis necessaria) nobis χαρίσεται, gratis donet? *conf.* etiam l. c. p. 13. & PFANNER l. c. c. 22. §. 17. p. 501. *Tandem & illi Theologi*, ut verbis utar S. V. PFAFFII l. c. p. 39. *qui infantes gentilium haud damnant, utique & gratiam extraordinariam adultis denegare haud possunt, etsi eam certe determinare nolint.*

§. XVII. Majori autem cum fiducia *embryonibus* gentilium & *infantibus*, ante omnem rationis usum decedentibus, gratiam Dei *extraordinariam* vendicamus, deque salute eorum optime speramus. Hi propter peccatum originis juste periissent in universali totius generis humani cataclysmo ac interitu, si Christus pro mundi peccatis non satisfecisset; sed postquam filius Dei pro omnibus hominibus mortuus est, atque meritum suum omnibus quoque hominibus ad expianda eorum peccata offert, omnibusque illud actu donare promisit, qui non malitiose resistunt, hoc vero de infantibus ante omnem rationis usum decedentibus dici non potest, a) de eorum salute per *extraordinariam* Dei gratiam promovenda jure dubitare non possumus. b) Inprimis, quia hi infantes non vivunt in statu ἀναπολογήσεος, Paulus enim gentiles ideo pronunciat fuisse ἀναπολογήτους, quod Deum ex inspectione creaturarum non recte agnoverint, sed potius contra dictamen rectæ rationis gloriam Dei mutaverint in men-

 dacia;

dacia; num vero hæc de iſtis tenellis infantibus dici poſſunt? Hi quidem naſcuntur cum actuali Numinis & Salvatoris ignorantia, ſed, ſi in iſta decedunt, pro defenſione ſui allegare poſſunt, quod ipſis agnitio tum Dei tum Salvatoris *abſolute* impoſſibilis fuerit, & quidem impoſſibilitate non ſponte contracta, ſed connata; aut igitur affirmandum eſt, Deum horum infantum ſalutem nunquam voluiſſe, ſed eos per abſolutum quoddam decretum ad æternam damnationem præ deſtinaſſe, & per conſequens, Chriſtum non pro illis mortuum eſſe, nec pro eorum peccatis ſatisfeciſſe, aut fruſtra mortuum eſſe, aut concedendum, Deum etiam illis gratiam ſuam actu offerre, c) & Spiritum S. etiam in illis operari agnitionem quandam ſuæ miſeriæ & veræ ſalutis viæ, &, quia illud per media ordinaria fieri nequit, modo *extraordinario* illorum promovere ſalutem; quæ Spiritus Sancti gratia in hiſce infantibus nunquam non efficax eſſe poteſt, cum illa ſemper ſufficiens ſit ad reſiſtentiam *naturalem* ex ſolo peccato originis ortam vincendam, malitioſa vero repugnantia in ejusmodi infantes non cadat. d) Accedit, quod hac ex parte omnimoda deprehendatur æqualitas inter hoſce infantes gentilium, & infantes Chriſtianorum ante baptiſmum decedentium, de quorum tamen ſalute nemo fere dubitat; licet enim his externa illa competat prærogativa, quod a parentibus in vera Dei eccleſia viventibus naſcantur, ſola tamen externa ejusmodi prærogativa nihil conferre poteſt ad actualem alicujus hominis vel ſalutem vel damnationem e), inprimis cum infantum in orbe Chriſtiano natorum parentes ſæpe pejores ſint gentilibus, nec ullibi quoque in Scriptura S. infantibus Chriſtia-

no-

norum ante baptismum decedentibus ista præ gentilium infantibus promissa inveniatur prærogativa, quod hi æternæ adjudicandi sint damnationi, in istis vero propter commemoratam externam istam prærogativam extraordinario modo per Spiritum S. producenda sit fides in Christum salvifica, quod veram involveret προσωποληψίαν. Cum igitur Scriptura illos non condemnet, nec nos eos condemnare debemus.

a) Quidam affirmant, Deum in hisce gentilium infantibus subsecuturam respicere *resistentiam malitiosam.* Quodsi nempe Deus per omniscientiam suam prævideret, hosce infantes, si diutius vixissent, & ad annos discretionis pervenissent, Christianam amplexuros fuisse religionem, tunc ipsis extraordinario modo conferret fidem in Christum salvificam; quodsi vero in gentilismo semper permansuri fuissent, tunc illos quidem æternæ adjudicaret damnationi, sed ita, ut infimum saltem pœnarum infernalium gradum sustinere deberent. Sed ne minimum huius paradoxæ sententiæ allegari potest fundamentum, neque ex ratione neque ex revelatione, loca enim Matth. X. 15. XI. 21. nihil probant. *Pugnat hæc opinio*, inquit *Joh.* SCHMIDIUS *Comment. in Hos.* IX. 12. p. 367. *cum divina justitia, quæ non pœnas immittit, quia homines sunt peccaturi, sed quia jam peccarunt. -- Actualis pœnæ illatio, actualem præsupponit malitiam & impietatem.* SCHMIDIUS quidem de Christianorum infantibus loquitur: sed multis Christianorum infantibus prematura mors summum est beneficium, qui vix ac ne vix quidem evitaturi fuissent æternam mortem, nisi Deus eos in infantia mori aut voluisset, aut permisisset; quare igitur non quoque dicendum esset, Deum permittere, ut gentilium infantes in tenella moriantur ætate, ne scilicet, si diutius viverent, eorum *naturalis* in *malitiosam* degeneraret resistentiam, hosque infantes sic esse אוד מצל מאש, Zach. III. 2. conf. S. V. MOSHEMII Diss *de salute infantum Christianorum ac paganorum*, §. 38. p. 35. & ipse S. V. ZEIBICH l. c. §. 58. p. 181. sq.

b) Miramur, extitisse magni nominis Theologos, quorum cineres post fata alias veneramur, qui nulli dubitaverint, gentilium infantes omnes æternis adjudicare cruciatibus. Fuerunt tamen quoque, qui bene de iis sperarunt. Ita B. QUENSTEDIUS l. c. P. 3. p. m. 13. §. 9. *De infantibus*, inquit, *in universum omnibus est voluntas Patris, ne pereat unus de pusillis istis*, Matth. XVIII. 14. *nec sequitur: infantibus ex-*

tra ecclesiam verbum Dei non innotuit, E. Deus eos non vult salvare. Nam neque infantibus intra ecclesiam natis, sed electis cita morte abreptis, verbum evangelii innotuit, quos tamen ipsi Reformati non subducunt divinæ misericordiæ, nec salutem illis denegant. Et J. A. SCHERTZER *System.* Loc. VII. §. 2. p. m 169. sq: *Quod omnes gentilium infantes promiscue sint damnati, ut asseramus, prohibent infinita Dei misericordia, universalis Dei voluntas salvandi homines, nisi obicem ponant, meritum Christi universale, Domini manus* extraordinarie quoque *salvandi non abbreviata, & preces Eccl. ex mandato Apostoli* 1. Tim. II. 1. *pro omnibus hominibus fusæ, & in universali merito Christi* l. c. v. 3. sqq. *fundatæ. Quæ frustra esse, quis nisi temere dixerit? Durum certe esset infantem gentilem absolute damnare, eo quod non curaverit se ipsum baptizari, quod tamen in ipsius potestate non fuit. Contemtus igitur Sacramenti, quippe qui in eis locum non habet, eos damnare nequit. Proinde nec cum* B. MEISNERO Anthropol. Dec. I. Disp. 7. qu. 2. p. 215 *dubitamus, nec cum Papistis eos plane damnamus; sed optime de ipsis speramus. Si enim Pater ille* οἰκτιρμῶν ἐλεήμονι ὀφθαλμῷ *respexit infantes Ninivitarum, ne perderet eos morte prima, quanto magis parcet illis & custodiet a morte æterna? Ita accurate ex* Jon. IV. *infert* B. DANHAUER. Hodos. fol. 1001. sqq. *Interim non ex absoluto quodam decreto, nec extra Christum, nec sine fide salvantur, quotquot etiam extra Ecclesiam salvantur, nec abbreviata est manus Domini, ut extraordinarie fidem in iis accendere possit.* Spectant huc quoque BALDUINUS *Cas. Consc.* p. 71. MENZERUS, *Jo. Henr.* MAJUS *Theol. Evangel. Tom.* I. §. 6 p. 230. CARPZOVIUS *Isagog.* p. 153. J. A. OSIANDER *Colleg. Syst.* P. 6. p. 150. NIEMEIERUS Disp. *de statu gentil. poster* §. 61. aliique, allegati a S. V. ZEIBICHIO l. c. p. 132. sq. & MOSHEMIO l. c. §. 38. p 33. f Quibus adde *cel.* KAHLERUM Diss. Theol. *de jure Dei puniendi posteros ob delicta majorum*, Rinteln 1728. §. 11. p. 15.

c) τὸ παρέχειν Act. XVII. 31. non tantum externam aliquam oblationem, sed realem quoque collationem denotare, ostendit S. V. MOSHEM. l. c. §. 44. p. 39. x.

d) conf. MOSHEMIUM l. c. §. 50. p. 45. sq.

e) conf. L. S. *ed. Rechenb.* p. 623. ubi negant B. C. Christianorum liberos ideo pro sanctis & in filiorum Dei numero habendos esse, *quia a parentibus Christianis & fidelibus orti sint.* Nonne vero hoc ipso denegant infantibus Christianorum ante baptismum decedentibus ratione salutis consequendæ omnem prærogativam præ gentilium infantibus? Quales vero prærogativæ infantibus Christianorum verè competant, ostendit MOSHEMIUS l. c. §. 71. 72. p. 73. sq.

§. XVIII.

§. XVIII. Idem judicium ferendum esse videtur de iis, qui quidem ad maturam ætatem pervenerunt, sed ab utero matris vecordes & mente capti fuere; his enim æque impossibile est, ac infantibus, Deum mediante lumine rationis, cujus usu destituuntur, recte agnoscere vereque colere, neque etiam de ratione placandi Deum peccatis offensum soliciti esse possunt. Cum igitur Patris universalis gratia, & Filii meritum universale, se ad illos etiam extendat, ipsi vero sine sua culpa incapaces sint ad usum mediorum ordinariorum salutis, pie credimus, Deum pro immensa sua φιλανθρωπίᾳ ipsis *extraordinarie* exhibiturum & collaturum esse fidem, uti infantibus ante rationis usum decedentibus. Quodsi vero non in continua versantur amentia, sed lucida quædam intervalla habent, aut si post annos discretionis vel casu quodam vel sua culpa rationis usum amiserunt, & in paroxysmo suo moriuntur, tunc nihil de iis determinamus, sed eos simpliciter divinæ tum misericordiæ tum justitiæ & judicio committimus.

§. XIX. Hæc sunt ea, L. B. quæ in arduam hancce materiam commentari volui; plura addere possem, & inprimis maximi momenti consectaria inde deducere, sed hoc aliis magis exercitatis relinquo. Scopus meus fuit, divinam tum justitiam tum misericordiam vindicare, quæ multis respectu salutis gentilium periclitari videntur, atque potiores removere objectiones, quæ vel contra has summas Dei perfectiones, vel contra veritatem ac necessitatem verbi divini in medium proferri solent. Quod si forte aliquibus videri

posset,

poſſet, me juſtos diſſ
cæ limites paululum
niam impetraturum e
neceſſario quædam d
iſſe, ſi ſcopum meu
miſericordiam juſtit
relinquere vellem o
nihil ſcripſiſſe, quoc
λόγων, aut ſanæ ration
ris cujusdam commiſſ
illum agnoſcere, publ
ra, illud profiteri. C
caveant, ne in judicio d
gravior enim eorum
Deus in hac vita la
gratia, quam gentil
ἀνόμως judicabuntu
propter gentile
C

ſtos diſſertationis philologico-philoſophi-
ulum transgreſſum eſſe, facile me ve-
turum eſſe ſpero, ſi B. L. cogitent, mihi
edam de ἀπολογήσει gentium dicenda fu-
m meum aſſequi, neç primarias contra
n juſtitiamque ſummi Numinis intactas
ellem objectiones. Spero interim, me
, quod ullo modo ὑποτυπώσει ὑγιαινόντων
æ rationi contrarietur; quodſi vero erro-
commiſſi convincar, non turpe judicabo
re, publiceque, meliora edoctus ac ſanio-
teri. Omnes tandem hortor, ut ſedulo
judicio divino deprehendantur ἀναπολόγητοι:
eorum poena erit ac intolerabilior, quos
vita largiſſima & ſuperflua dignatus eſt
n gentilium, qui ἀνόμως peccarunt, &
icabuntur. *Luc.* XII. 47. 48. Non
r gentiles hæc ſcripſi, ſed propter
Chriſtianos.